



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. An verè Elias sit venturus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

VERSUS 9.

Et descendentibus illis de monte præcepit eis, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.

QVÆSTIO I.

Cur vetuit vulgarire?

§. 1. **V**ariæ disputationes futuræ erant ex euulgatione, & incommoda, quæ euitare Christus maluit. Ne Apostolis quidem dixisse constat ex Marco & Lucâ: causa vetandi, quod incredibiles res, & plane insolita videretur. Deinde si post cruci affixum viderent, omnia illa viderentur iustitia. vt Chrysost. Euthym. Theophylact. Primaria causa videtur, quod non videretur tantæ rei actam mirabili idonei adhaerentes & præcones. Viderunt enim post resurrectionem non creditum esse illis, qui dixerunt se Christum vidisse. Quod si affirmarent dormiuisse se, deinde Lucem vidisse, Mosem, Eliamque conspexisse, post multas disputationes, & altercationes id futurum videretur, vt non crederent. Mosem enim resurrexisse, aut saltem animam adfuisse credere difficulter sane poterant.

VERSUS 10. 11. 12. 13.

Et interrogauerunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est; & restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias iam venit & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quacunque voluerunt. Sic & ille Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis.

QVÆSTIO I.

An vere Elias sit venturus?

§. 1. **I**n descensu montis à tribus discipulis est interrogatus: an Elias esset venturus? Versabantur illi in communi errore scribarum, Christum in gloriâ venturum, & regnaturum, atque immortalem omnino futurum, atque ita redditurum vnicuique secundum opera sua. atque ante illum diem Eliam venturum, quod si fieret non videbant quomodo de excessu in Ierusalem loquerentur. Iam viderant Eliam sperantemque mansurum: Phariseorum enim erat argumentum contra Christum, non esse Messiam, quod eum non præcessisset Elias. Hunc enim aduentum Christi & vltimum confundebant. Quia enim Elias subito discesserat, quem mansurum sperabant, de communitraditione inquirunt, quam etiam in Ecclesiastico scriptam habebant. Christus cum distinctione respondet, vt habet Abulensis. Errabant scribæ

quod venturum putabant ante primum aduentum Messiae, seu ante omnem aduentum illius, vñ cum enim solum imaginabantur, non errabant in eo, quod venturum dicebant. Christus igitur ait, venturum scilicet in propria persona, & venisse in Spiritu. Dicitur itaque, vt habet Comment. Hieronym. Euthymius, mirantur. cur Elias non ante venerit. cur nunc simul appareat, & mox recedat. Non ea præstabat, quæ Scriptura promiserat, vt daret penitentiam gentibus, & converterent corda filiorum, &c.

§. 2. Christus respondet. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Syrus *ἐρχεται*, addit autem prius, vt sensus sit; Elias prius veniens erit, vt omnia restituat. De futuro tempore loquitur. Itaque illa verba non possunt intelligi de Ioanne Baptista, qui iam non modo venerat, sed etiam obierat. Deinde illud *δοκάζει* restituet, non potest de præterito accipi. Elias igitur venturus erat. Conuertere vero cor Patrum in filios. Et quamuis in Luca sit *δοκάζει* restituit, hoc ipsum tamen de futuro est intelligendum. Nec dici potest esse sensum; *Elias venturus erat, & omnia restitutus.* vt ipsi dicunt, sed iam venit. Nam expresse dicit, *ἐλθὼν cum venerit, restituet.* quod de futuro necessario dicendum est.

§. 3. Musculus occurrit: cur non dixit; *Se Eliam in persona missum?* Respondeo. Eliam venturum dicit: Elias adfuerat, de illo ergo loquitur. De Ioanne etiam locutus est, satis erat dicere: Eliam venisse & venturum. Quod dixit Dominus, *Elias quidem venturus est, & restituet omnia:* id est: vel eos quos persecutio Antichristi perturbauerit, vel vt ipse restituat moriendo quæ debet.

§. 4. Obiiciunt: Discipuli Christum de Ioanne Baptista locutum intelligunt, hoc enim Euangelista non modo recenset, verum etiam, veram fuisse sententiam res ipsa declarat. In Ioannem enim, non in Eliam sæuierunt.

Respondeo. Duplicem esse responsionem Domini. Primam de Elia venturo; alteram de Elia, qui iam venerat. Idcirco dicit *ἐρχεται*, & *δοκάζει* restituet, venit & restituit. Deinde de altero *ἐλθὼν* venit, præterito tempore. Transit ergo Elias, & occisus est, & tamen postea restituet omnia. Baptista non venit, nec restituet quicquam, quia iam in Spiritu & virtute Eliæ præcursoris munere functus est. August. Tract. in Euangelia. & lib. 20. de ciuit. c. 29. probat eum venturum. Cum autem admonuisset vt meminissent legis Moyfi: quoniam præuidebat eos multo adhuc tempore non eam spiritaliter, sicut oportuerat acceptos continuo subiicit: *Eccce ego mittam vobis Eliam Thesitrem, antequam veniat dies Domini magnus & illustris: qui conuertet cor Patris ad filium, & cor hominis ad proximum suum, ne forte veniens percutiam terram penitus.* Augustini sententia de Elia aduentu.

Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophetam exposita sibi lege vltimo tempore ante iudicium. Iudæi in Christum venturum, id est, in Christum nostrum esse credituros celerrimum est in sermonibus cord. busque fidelium. Ipse quippe ante aduentum Iudicis Saluatoris non immerito speratur esse venturus: qui etiam nunc viuere non immerito creditur. Curru namque igneo raptus est de rebus humanis, quod euidentissime sancta Scriptura testatur. Cum venerit ergo exponendo legem spiritaliter, quam nunc Iudæi carnaliter sapiunt: conuertet cor Patris ad filium, id est, cor Patrum ad filios. Singularem quippe pro numero plurali interpretes septuaginta exposuerunt. Et est sensus vt etiam filij sic intelligant legem, id est, Iudæi, quem admodum Patres eam intellexerunt, id est, propheta, in quibus erat & ipse Moyses. Sic enim conuertetur cor Patrum ad filios, cum intelligentia Patrum perducatur ad intelligentiam filiorum: & cor filiorum ad Patres eorum, dum in id, quod senserunt illi, consentiunt & ipsi. Vbi & Septuaginta dixerunt, & cor hominis ad proximum suum. Sunt enim inter se valde proximi Patres & filij.

Quam-

Quāquam in verbis septuaginta interpretum, qui prophetice interpretati sunt, potest sensus alius idemque electior inueniri: ut intelligatur Helias cor Dei Patris conuersurus ad filium: non utique agendo, ut Pater diligat filium: Sed docendo quod Pater diligat filium: ut & Iudei, quem prius oderant, diligant eandem, qui noster est Christus. Iudeis enim nunc auersum cor habet Deus à Christo nostro: quia non putant eum Deum esse, neque Dei filium. Eius ergo tunc cor eius conuertetur ad filium, cum ipsi conuerso corde didicerint dilectionem patris in filium. Quod vero sequitur: Et cor hominis ad proximum suum, id est, conuertet Helias cor hominis ad proximum suum: quid melius intelligitur, quam cor hominis ad hominem Christum? Cum enim sit in forma Dei Deus noster: formam serui accipiens, esse dignatus est etiam proximus noster. Hoc ergo faciet Helias. Ne forte inquit veniam, & percutiam terram penitus. Terra enim sunt, qui terrena sapiunt: Sicut Iudei carnales vsque nunc: ex quo vitio contra Deum murmur illa venerunt: quia mali ei placent, & pauper est qui seruit Deo.

Impudens ergo est Caluini & maledica calumnia, cum ob Eliam, aduentum à nobis expectatum, Catholicos accusat, cum enim Christi tempore hanc sententiam in Ecclesia Iudaica fuisse dixisset, adiungit eodem modo, diabolum fascinare Papistas. Ut non expectent iudicii diem, nisi cum apparuerint Enoch & Elias. Quos autem conuictetur ex Augustino constare, ipsum nempe Augustinum, & Christi fideles, quorum in sermonibus & cordibus hoc celeberrimum esse testatur Augustinus. Vide Suarez. 3. P. T. 2. disp. 55. Peter. in Daniel: Viegam in Apocalyp. 11. & Riberam. Mendozam in quodlib. Bellar. de Elia & Enoch.

Chrysostomus non suam modo sententiam. Sed Scripturarum & Ecclesie proponit verbis clarissimis, ut dubitari non liceat, quid de Elia Ecclesia olim crediderit. Diuina namque Scriptura duos aduentus Christi testatur, quorum alter iam factus est, alter vero futurus est: quos significauit Paulus, dicens: Apparuit gratia Dei salutifera omnibus hominibus: erudiens nos, ut ab negantes impietatem, & seculares cupiditates, modeste, ac pie viuamus. Ecce de primo aduentu, audies nunc quomodo & alterum significans subiunxit: Expectantes beatam spem & aduentum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Sed Propheta quoque, utriusque mentionem faciunt, & secundi, cui precursores Eliam asserunt futurum: primi enim Ioannes fuit precurator, quem etiam Heliam Christus appellabat, non quia Helias esset, sed quoniam ministerium Helie faciebat: Nam sicut ille secundi aduentus precurator erit, sic primi fuit Ioannes. Sed scriba ista confundentes, & populum pervertentes secundi aduentus solummodo recordantur, & dicebant ad plebem: Si Christus hic esset, Helias venisset: quapropter discipuli quoque dicunt, quare igitur scriba Heliam oportere prius venire asserunt? Hac de causa Pharisei miserunt ad Ioannem, ac interrogabant, Helias ne es tu? nullam prioris aduentus mentionem facientes: quam solutionem attulit Christus quia scilicet Helias quidem tunc veniet, scilicet ante secundum meum aduentum, & nunc iam Helias venit, ipsum Ioannem ita vocans. Si vero Thesbitem queritis, veniet: ideo dicebat. Helias quidem veniet, & restituet omnia. Quam omnia? Quacunque Malachias Propheta dicebat. Mittam enim vobis Heliam Thesbitem, ait, qui restituet cor Patris ad filium, ne veniens percutiam terram penitus. Vides exactam diligentiam prophetice predicationis? Nam quoniam propter ministerij similitudinem Ioannes quoque poterat Helias nominari, ne confusio fiat, patriam adscripsit. Heliam Thesbitem vocans. Ioannes enim non erat Thesbites. Aliud etiam signum addit: dicens: ne percutiam terram penitus: Secundum atque terribilem illum aduentum significans: non enim ad ferendam terram primo venit. Non veni ait, ut mundum iudicem, sed ut saluem. Quod ait

ut expresse significaret ante illum aduentum, quo iudicium exercetur. Thesbitem esse venturum: causam quoque, cur venturus sit, docuit. Quam nam vero causa est? Ut Iudeis credere in Christum persuadeat, ne omnes illo adueniente penitus perdamur: quam rem ipse in memoriam reducens inquit: Et restituet omnia, incredulitatem videlicet Iudeorum, qui tunc erant infideli ad fidem conuertet. Exquisitis autem dictum est, qui restituet, non filij cor ad Patrem, sed Patris ad filium. Iudeorum enim filij Apostolice erant, ad quorum dogmata pertra Patrum, id est, Iudeorum generis mentem conuertet. De diuersis loqui Prophetis Chrysostomus ostendit: Sed ne turberis, neque in sermone vllum esse errorem putes, si modo quidem venturum esse; modo vero iam venisse dicent: ambo enim hac vera sunt. Quando enim dicit, Helias quidem veniet & restituet omnia: ipsum Heliam dicit, & eam que tunc futura est Iudeorum conuersionem. Quam vero dicat, ipse est qui venturus erat, ipsum Ioannem propter ministerij similitudinem Heliam vocabat.

Est hæc scripturæ nixa traditio, cui testimonium omnes Patres perhibent. Vtrumque enim viuere vitam certum est. Paulus ad Hebr. 11. Transiit enim Enoch ne videret mortem. Elias eodem modo raptus est, nec dum mortuus, mortuorum tamen confortatus, sed ad magnum aliquid opus diuina providentia conseruati. Ut est Eccles. 48. 9. Vbi cum dicitur scriptum in iudicio temporum, leuare in acundiam Domini, conuolare cor Patris ad filium, & restituere iribus Iacob: Hæc de eodem Elia dicuntur, qui raptus est. Non de alio: Conati sunt hæc euertere Iudei, nam Abenestradus Genes. 5. Translatus est, de morte interpretatur, contra ceptam olim sententiam Synagoge, contra Philonem, lib. de vitâ sapient. Hæc quidem mansit in Ecclesia Catholica Scripturarum interpretatio. Nam & Iren. lib. 1. c. 5. & 1. 4. c. 30. & Hieron. aduers. Pelag. lib. 1. sententiunt. Et Tertull. de anima, c. 50. Translatus est Enoch, & Elias nec mors eorum reperita est, dilata scilicet. Ceterum morituri referuntur, ut Antichristum sanguine suo extinguant. Et c. 35. Helias non ex dissectione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus de quo non est exemplum, sed mundo reddendus, de quo est translatus, non est postmimo vitæ, sed ex supplemento prophetie, idem ipse & sui nominis, & sui hominis. Vide & Hieron. Epist. 1. 4. ad Marcell. Interim amplectimur testimonium Caluini, qui hanc sententiam Papistarum asseuerat: ut omnibus sit manifestum, quantos viros, & quam Ecclesiam Papistarum inconsiderate agnoscat, omnem nempe ab Apostolis vsque antiquitatem.

S. 5. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. c. 22. Petri nouam prophetiam esse putat. Igitur & Petrus mortuorum tabernum Christi sui agnoscens in diuiditate eius suggerit filium: Bonum est nos hic esse, bonum plane, vbi Moyses & Helias. Et faciamus hic tria tabernacula: Vnum tibi, & Moysi vnum, & Helie vnum. Sed nesciens quid diceret. Quomodo nesciens? Vtrumque simplici errore an ratione quam defendimus. In causa noua Prophetia gratia, Egestas, id est, amentiam conuenire? In Spiritu enim homo constitutus, presertim quam gloriam Dei conspiciat, vel quam per ipsum Deum loquitur, necesse est excidat sensu, obumbratus scilicet virtute diuina, de quo inter nos, & Psychicos questio est. Interim scilicet est amentiam Petri probare. Quomodo enim Moysen & Heliam cognouisset nisi in Spiritu? Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset, & similitudines, lege prohibent, nisi quia in Spiritu viderat: & ita quod dixisset in Spiritu, non in sensu constitutus, scire non poterat. Hoc ille ad confirmandas Montani nouas prophetias: Cataphryges enim inlante, bæchari & gentilium mote turbati solebant, cum suas prophetias proferrent.